



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 27. Num rejici debeat conditio ineundi matrimonium spirituale seu ingrediendi religionem, adjecto legato vel hæreditate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

quamdiu à jure non reprobantur; talis autem est dicta conditio; quia eo sine non apponitur, ut legatarium vel donatarium à statu ecclesiastico vel religioso retrahat; sed ut familia conservetur, & res publica sobolis procreatione augeatur; & nullibi reperitur à jure reprobata; esto enim in cit. *Aubert. de Sanctiss. Episcop.* matrimonio aequiparetur religio, id tamen extra illum casum speciale, de quo ibi, non est extendendum; cum à jure communi exorbitet, argumentum à matrimonio carnali ad spirituale valet, dum in utroque adest finis legis, & dispositio nemini præjudicat; in præfenti autem, conditio retrahens à matrimonio carnali ideo rejicitur, quia obstat procreationi liberorum, & auctiori republicæ præjudicat; qui finis non procedit in matrimonio spirituali. Unde jam etiam deducunt citati AA. validam & observandam esse dispositionem, quæ patet legat filia 200. si nupsit, & non nisi 100. si religionem ingrediatur; quia hæc dispositio non fit animo avertendi filiam à religione, sed quia ad onera matrimonii portanda pluribus eget.

Quest. 27. Num rejici debeat conditio incundi matrimonium spirituale seu ingrediendi religionem adjecto legato vel hereditate.

R Esp. Negative, Sanch. l. 1. d. 33. num. 15. Molin. cit. d. 207. Covar. l. 1. var. c. 19. num. 10. Ant. Gomez, var. c. 12. num. 78. Castrop. cit. p. 11. num. 13. contra Riminald. conf. 215. à num. 176. Bartol. conf. 45. quia licet religio sit status excludens omnino nuptias, id tamen testator per se & directe non intendit, sed solum incitare ad statum religionis perfectissimum; textus autem reprobandes conditionem retrahentem à nuptiis loquuntur de retractione per se & directa, ut videre est in l. quoties. l. cum tale. l. Titia. ff. de condit. & demonstr. Verum num hæres vel legatarius ingrediens religionem animo perseverandi, si postmodum egrediatur ex novitatu, satisfaciat huic conditioni, non conveniunt AA. negant Paulus in l. si quis hæredem. c. de substit. & Instit. num. 3. Alex. ibid. num. 2. & in l. in substitutione. ff. de vulgari. num. 12. & ibid. Inol. n. 4. eò quòd testatoris intentio esse videatur, ut legatarius assumat statum religionis firmiter & perseveranter, sitque verus religiosus. Contrarium tamen probabilitus censet Castrop. n. 15. eò quòd, si testator restringere voluisset intentionem suam ad perseverandum in religione, id exprimeret debuisset, & non uti verbis generalibus usitatis & communibus, nempe ingrediendi religionem, vel fieri religiosum, quæ juxta communem loquendi modum (qui in legibus & dispositionibus ultimarum voluntatum spectandus est) satis verificantur per assumptionem habitus religiosi; neque enim præsumendus est testator disponere contra juris ordinem; neque verba in alia strictiore significatione lumere, quàm à jure communi sumantur. Confirmat hæc à simili Castrop. dum juxta D. Thom. 2. 2. q. ult. a. 4. & communem satisfit voto ingrediendi religionem, si animo perseverandi quis ingrediatur, tamen postmodum exeat, modò id fiat ex rationabili causa; eò quòd talis vovens intelligatur vovere religionis ingressum, qualis est à jure præsumptus cum libertate egrediendi, si religio displiceat.

Quest. 28. An subsistat conditio sub privatione hereditatis vel legati, si nubat extra familiam vel oppidum, vel ne nubat ignobili aut descendenti ex Judæis.

R Esp. Affirmative. Castrop. p. 11. n. 17. citatis Molin. d. 207. circa finem. Sanch. l. 1. d. 34. num. 39. Gutt. c. 21. num. 40. & 41. &c. juxta l. cum ita, & seq. ff. de condit. & demonstr. ubi deciditur: esto, quòd ad personas, quibus cum contrahendum matrimonium, restringatur potestas, absolute tamen non restringitur, cum liberum sit virgini, cui prohibitum aliis nubere, & absque gravi difficultate id præstare potest. Adhæc, ut Castrop. conditio retrahens à nuptiis rejicitur ab ultimis voluntatibus, non jure naturali, sed positivo; jus autem positivum rejicit conditionem absolute retrahentem à nuptiis, non vetò retrahentem à nuptiis singularibus & determinatis; cujus etiam est ratio, quòd ex absoluta prohibitione nuptiarum impeditur sobolis procreatio & republicæ augmentum, sed non ex prohibitione aliquarum nuptiarum; quin etiam prohibitio specialium nuptiarum utilis esse potest testatori; non vetò absoluta quarumcunque. Porro procedit responsio, non solum de primis nuptiis, sed & de secundis & reliquis nuptiis; quippe in omnibus est eadem ratio, ne nimirum testatoris bona ad extraneos, vel sanguine infectos deveniant. Gutt. num. 41. Sanch. l. c. num. 34. Castrop. num. 17. proceditque item, modò matrimonium sit validum, esto, non sit consummatum; cum satis sit potuisse consummari. AA. iidem.

Quest. 29. An & qualiter conditiones aliæ adjectæ contractui sponsalium eundem vitient.

1. **R** Esp. primò: Conditio necessariò futuræ, V. G. si sol ceras oriatur; adjecta sponsalibus æquè relinquit ea valida, ac si nulla conditio adjecta esset; Ratione enim necessitatis reputatur quòd ad obligationem, acsi jam evenisset. §. conditio. Instit. de V. O. ubi: *que enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem &c.* suspendit nihilominus executionem sponsalium, quæ fit per initum matrimonium, donec re ipsa eveniat, & ideo prius non obligaris ea sponsalia exequi, Castrop. p. 16. num. 2.

2. **R** Esp. secundò: Conditio impossibilis vitiat contractum sponsalium; turpis vetò suspendit illum, quousque ponatur. Castrop. num. 4. citatis Rebell. l. 2. de matrim. q. 10. f. 5. Pont. l. 2. de sponsal. c. 7. n. 3. contra Sanch. l. 5. d. 17. n. 2. & alios apud illum consentes, conditiones tam turpes quàm impossibiles, sicut excluduntur à matrimonio seu in favorem illius, habentur pro non adjectis; sic etiam habere se respectu sponsalium, utpote quæ via sunt ad matrimonium. Ratio responsionis est, quòd jure naturæ conditio impossibilis vitiet contractum, turpis vetò illius obligationem suspendat; hoc autem jus naturæ correctum, non est in sponsalibus, sed in matrimonio, in c. fin. de condit. apposit. ex eo autem, quòd correctum sit in matrimonio, non magis sequitur, quòd correctum etiam sit in sponsalibus, quàm